

PRÆFAMEN.



DE Doctis natione Westphalis quædam commentari apud animam
 haud pridem constitueram, rationibus, ut opinor, longè gra-
 vissimis inductus. Ante omnia quidem impellebat, quo labora-
 mus, *Βιογραφίας* Westphalorum defectus. Quod si enim u-
 num excipias *Herm. Hamelmannum*, SS. Theol. Lic. & Superint.
 Oldenburg., qui congescit & edidit Anno 1564. VI. Libros Illu-
 striam scientia, virtute & scriptis Clarorum Virorum, qui vel
 Westphali fuerunt, vel in Westphalia vixerunt, vel in ea nati alibi
 claruerunt; quantum quidem mihi constat, qui Doctorem Westphalorum vitas addi-
 tis scriptis & sicubi haberi potuerant, elogiis, describere aggressus fuerit, hæcenus
 extitit nemo. Deinde permovebat effatum Viri sine controversia magni atque ad mi-
 raculum docti, *Herm. Conringii*, qui in *Epist. ad πολυμαθέων* *Henr. Meibomium*,
 Celeb. ejusdem nominis Avi Opusculis historicis, res germanicas spectantibus, edit.
 1660. præfixa, illos (ait) non satis ingenio præditos esse animo, qui ita peregrinis in-
 tenti sint, ut prisca Patria res negligant, vel elatis quasi manibus suspendant, imò
 nec in Majores quidem esse satis sanctos. Quod ipsum effatum tot comprobatum
 Scriptorum etiam vetustissimorum testimoniis, si susque deque habere vellem, in Pa-
 triam injurius jure meritoque haberer. Quo accedebat aliorum, suæ gentis Erudito-
 rum memoriam ab interitu vindicare adlaborantium, Exemplum, mihi licet eruditi-
 one longè inferiori imitandum. Quod recentissime in *Conspectu Lusatia literata* tribus
 Dissp. absoluto præstitisse *M. Pet. Fanichium*, hodieque agere *D. G. P. Schultzius*
 in *Dissertationibus Epist. de Claris Marchicis* nemini credo esse incompertum.
 Cum vero Eruditorum totius Gentis meæ sanè amplissimæ vitas exponere
 immensi, ut facili quilibet conjecturâ assequuntur, laboris sit, placuit ex consilio
 Ampliss. Dn. Præsidis mei, ceu primitias quasdam futuri operis ventilationi Acad. sub-
 ficere Exercitationem præsentem *de Westphalorum Meritis in Academiam Rostochien-
 sem*. Cujus per aliquot jam annos civem me fuisse, salutari ejus abs Doctores do-
 ctrinâ innutritum, lætor & quoad spiritus hos reget artus, lætabor. Ità enim, quan-
 tum tenuitas mea permiserit, & de inclyta hac Academia, studiorum meorum matre,
 in gratitudinis signum, & de dulcissima Patria meâ qualieumque modo mereri me pos-
 se arbitratus sum. De illa, quando quorundam ejus, quorum hodieque merita ve-
 neratur, Professorum, vitas scriptaque eorum recensendo, memoriam renovabo; De
 hac, quoniam eorum quodammodo credo os obturatum iri, qui de Westphalica Na-
 tione pessimè sentientes, vel nullo planè, vel exiguo saltem nec memorando erudi-
 torum eandem gaudere proventu causantur. Quos, ne mediocrem suam, ne dicam
 nullam, in re literaria scientiam hoc ipso plus satis prodidissent, Virorum omni laude
 majorum, quibus Westphalorum in omne studiorum genus merita mactant, elogia
 percipere juvasset. Non quidem in iis, quæ numero alias sat magno collecta habeo,
 adducendis esse prolixior volo; unum tamen alterumque abs hujus Academiæ Ce-
 lebb. vitis profectum inserere haud, spero, ingratum erit. *David Chytræus*, alter
 quasi hujus Acad. parens de eademque immortaliter cum gloria immortaliter meritis,
 (quale de hoc viro judicium est Magni *Fechtii*, *Orat. de stud. Exeg. in Acad. Rost.*
semper exulto, subj. *Exegg. Schom. in Epp. Pauli Min. pl. Ali. 3.*) in *Chron. Sax. lib.*
III. fol. 76. Estque hoc illustre (inquit) ingenii, virtutis & industria argumentum,
quod in vicinis urbibus & aliis locis Westphali, etiamsi peregrini sunt, tamen ad
 consi-